

Hercules cubitorum corporis quatuor erat altitudi-
ne, igneum ex oculis splendorem effundebat, nec frustra
aut ab arcu sagittas emittebat, aut jaculo feriebat. Apollod.
lib. 20. Charops quasi iracundè intuens dictus, ex Africana
victoria nihil præter oves abegit; verùm quia *μηλον* ovem
& pomum, Homerum omnem arborem significat, aurea
mala ex hortis Hesperidum secum asportasse creditur; tan-
to namque in honore apud veteres oves habitæ, ut ex iis o-
mne divitiarum genus, desumi posse existimarent, hinc au-
rea lana, & apud Jurisconsultos peculium teste Festo, cum
Servio, à pecoribus dictum; pecunia pecudum nota signata,
ex argento. Anno V. C. CCCCLXXXIV. Q. Fabio Consule, pri-
mò apparuit. Plin. *lib. 33. c. 3.* ubi mendum est, quod Glarea-
nus de Asse & part. ejus *c. 13.* annotavit.

Valeriæ per Italiam observantur Herculis statuae, po-
mo uno, aut tribus in manu, quæ cotonea affirmat Pierius
lib. 10. Similem hujus schematis Ravennæ aspicias Ingeni-
culum, ambobus lacertis atque cervice, semitotundum &
convexum gestantem solarium. Non dissimilis Romæ, in
vineâ Stephani Bubalii repertus Alcides, Sphæram Zodia-
ci, & fixarum stellarum imaginibus sculptis exornatam ba-
julans. Cur autem cælo humeros supposuerit. Diodor. *lib. 4.*
c. 3. explicat. Clavam à nobis primò novem stellulis descri-
ptam, alii tam libri, quàm globi ignorant; nec ramum po-
miferum agnoscunt, quæ duo cum historiæ nihil detrahant,
nec omittenda censuimus.

Clara in capite *κτ' ἐξοχήν* Hercules, nobis cosmicè ori-
tur, III, Non, Novembr. occidit XIX, Kal, Febr,

TABU-